Iemæo & Johanne Regiomontano *collegit, quæ ad intelligendum opus suum necessaria existimavit.* Saraceni, *qui post summos illos Doctrinæ Motuum parentes, omne studium omnemq; operam huc contulerunt, animadverso, quod facilius per minores numeros procederet ratiocinatio, quodq; eadem maneret in semissibus subtensarum ratio, quæ in totis, relicta Ptolemaicâ loquendi formâ, nova vocabula, novasq; appellationes usu id exigente, in sua lingua excogitarunt. Hos secutus* Johannes de Regiomonte *cum videret facilitatem & commoditatem, quam in Logistices usu præstant Indici numerorum Characteres, relictis scrupulis primis & secundis, quibus hactenus cum* Ptolemæus, *tum etiam* Saraceni *fuerant usi, primò eam quæ ex centro posuit partium 60000000. ut Sexagenariam quidem veterum divisionem retineret, & scrupulorum involutiones vitaret. Mox autem animadvertens & unitatem majus præstare compendium, quam Sexagenarium, maluit venerandam Antiquitatem hoc in parte relinquere, quam per devia & ambages quærere, quæ rectâ viâ facilius posset assequi. Sed quid non eruit indefessum studium & improbus labor? Vidit idem maximum fore compendium, si ratio H C semissis ad A H* (in appositio Schemate) *haberetur non tantum in partibus qualium A C ex centro ducta ponerentur partium 10000000, sed etiam in partibus quarum sive H C sive A H poneretur partium 10000000. & pro ea ratione altera semissium constitueretur. Quare hac ratione usus, Tabulam quam Fœcundam appellavit, confecit. Sed neq; sic tractatio Doctrinæ Triangulorum absoluta fuit. Nam quia ad Triquetri latera, & non subtensas respicitur, requirebatur, ut data recta H C vel A H in proportione, quarum altera eorum ponebatur partium 10000000. ijsdem partibus & subtendens angulum Rectum, hoc est, Hypotenusa daretur. Id cum* Georgius Joachimus Rheticus *animadvertisset, rationem inire cœpit, quomodo hanc Doctrinam locupletare & pleniorem efficere posset.* Hæc est historia Canonis Triangulorum usque ad Rheticum